



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXXVI. Cur Christo navigante cum Discipulis excitata
tempestatas? Dominica IV. Post Epiphaniam. Ecce motus magnus factus est
in mari. Matth. 8. v. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXXVI.

Cur Christo navigante cum Discipulis
excitata tempestas?

DOMINICA IV. POST EPI- PHANIAM.

Ecce motus magnus factus est in mari.
Matth. 8. v. 24.

§ I.
Mundus
mare tem-
pestatibus
plenum



Nil in Scriptura & apud Patres est frequentius, teste S. Augustino Lib. 20. de Civitate DEI c. 15. & ferm. 13. de Verbis Domini, quàm quòd mundus iste mari comparetur, propter stabilem instabilitatem, amaritudinem, & pericula. Nullum mare tam instabile, nullum tam amarum, nullum tot ac tantis quot & quantis mundus, obnoxium periculis, Tempestas quotidiana, & unde tempestas? à vento. Et quid ventus? res adeò levis; ut Jobo nulla sit levior visa, unde vitam suam ventum vocat: *memento, quia ventus est vita mea* Job. c. 7. v. 7. ut ut autem ventus res sit levis, unus sufficit ad tempestatem, ad naufragium, ad

interitum. De hodierna tempestate ait Marcus: *Erat ventus contrarius illis.* c. 16. v. 48. Non opus ventis, unus sufficit, qualiscunque sit navis, ut vel periculo exponatur, vel re ipsa mergatur. Ecce navis, in qua vehuntur Apostoli, potuitne navis esse sanctior? Ecce navis, in qua est JESUS, potuitne esse felicio? *Cæsarem, & fortunam ejus vebis,* in clamavit exanimato propè nautæ Julius Cæsar, Jesum vehit navis, & tamen nulla ei est securitas: *Ecce motus magnus factus est in mari, ita, ut navicula operiretur Fluxibus.* Ecquænam Causa tanti motus, tanti periculi? Judæ, qui eadem navis vehebatur, adscribit S. Ambrosius ser. 62. in Domin. 5. post Pentecosten sic loquens: *Erat ibi Simon Petrus. sed erat pariter & proditor*

Judas,

Judas, quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbat. Origenes homilia 6. in divers. dicit factam ideo tempestatem magnam: ut Christus suam potentiam ostenderet, seque esse Dominum supremum terræ ac maris. hac de causa Angelus ille Apocalypticus cap. 10. v. 2. qui pedem alterum super mare, alterum super terram habebat, ad mentem venerabilis Bedæ, Richardi, Ansberti &c. Christi ubique potentiam designabat. Theophylactus excitatæ tempestatis causam hanc assignat: ut discipuli magis timerent, & in periculo rogerent Dominum. Nunquam est securitas (inquit Bernardus ser. de ligno fœno & stipula) neque in cœlo, neque in paradiso, multò minus in mundo. Quò quis sanctior, eò plus timere habet: plus enim tentationum ventis ac tempestatum fluctibus est obnoxius. Hoc nunc ostendam.

§ 2.
Homines
naves sunt
tempesta-
tibus ex-
positæ.

Ecce motus magnus factus est in mari. Ingeniosum est illud cœnotaphium, quod sibi struxit vir consilij, in Modin Civitate à mari duodecim horarum itinere columnas ingentes & super columnas *naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Lib. 1. Machabæorum Cap. 13. v. 29. Consilium autem erat, omnibus exponere, omnes nos in pelago hujus mundi vehi, & licet videamur esse columnæ, non tamen esse nisi naves minimè securas, ad quarum submersionem unus sufficit ventus, tempe-

stas unica tentationis. Columna cœli visus est Lucifer, navis fuit, & navis quidem virtutibus & prærogativis onustissima; & tamen unus ventus ab Aquilone flavit: *in lateribus Aquilonis* Isai. 14. v. 13. tempestatem excitavit, naufragium intulit, in quo cum oneraria navi tot milliones periverunt. Si tanta navis (vento superbiæ in ima demersus Lucifer) tot mercibus onusta mergitur, quomodo nos cymbulæ subsistemus? Duæ naves in paradiso Adam & Eva à DEO ædificatæ & elaboratæ, ab uno halitu serpentis, ab uno vento gulæ orientali superatæ sunt; & vix in tabulis pœnitentiæ diurnæ enatârunt. Quàm divina navis David! erat ita instructa, ut nullo timeret à turbine: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.* ita de semetipso ait Psal. 29 v. 7. unus tamen ventus veniens ab Occidente Zephyrus, unus ventus Venereus mersit hanc navim. colligo enim ex tabula Geographica Adriehomij, fenestram, quâ curiosè vidit Bethsabeam lavantem, fuisse ad Occidentem. O tu es Bethsabea à filio laudata, prov. 37. v. 14. *quasi navis insitoris.* quàm depauperata es, ut nec occurrerit tibi cum adultero tuo clamare: psal. 68. v. 3. *tempestatas demersit me.* Petrus navis videbatur esse solidissima, contra quâ Matth. 18. *portæ inferi non prævalebunt;* at ab uno halitu, à vento unico timoris & respectûs humani alliditur, imò in brevia & syrtes impellitur: hæret in sicco, donec ex aula oculis JESU, quasi funibus fuif-

fer extractus, fufis copiosè lacrymarum aquis ficcitati succurrens. Ecce quàm verum, quò quis factior, eò magis expositus est tempestatibus. O quàm bene S. Bern. de tempestatibus: *Nunquam est securitas, neque in cœlo, neque in paradiso, multò minus in mundo.* serm. de ligno fœno & stipula.

§ 3.
Cur Diabolus Princeps æris dicitur?

Nescivi hæctenus quare Diabolus vocetur *Princeps æris*. Cur hoc nobile elementum rebeli spiritui attribuitur? quòd *Princeps terræ* appelletur, transeat, Si Princeps ignis Lucifer nominaretur, nihil esset dissonum à nomine. Sed quòd *Princeps æris* 4. Eph. v. 2. à Doctore gentium vocetur: *ambulastis secundum potestatem Principis æris*, non satis capio. An ideo maledictus spiritus æris Princeps audit, quia ær in libro Genesis omittitur, nec ulla benedictionis datæ facta mentio? Fors ideo quia nec colorem proprium, nec figuram habet, & ad omnium rerum, quas suscipit, motus se accommodat; genuinum pſevdopolitici symbolum. An ideo Princeps æris dæmon, quòd omnia illius promissa ventis leviora sunt in auras abeuntia? S. Thomas in loco citato existimat, ideo dæmonem Principem æris dici: quia magnus numerus, dum cœlo excidissent, hæsit in ære. Origen. opinatur ideo vocari Principem æris, quia *ventos concitat tentationum*, & quidem eò majores, quò majores in virtute & sanctitate homines sunt. Tentatio fuit ille ventus, quò justus Jobi domus corruit; Tentatio fuit ille ventus quo Jonæ navigatio impedita fuit.

§ 4.
Quò quis est sanctior, eò magis expositus periculis,

Et quamvis tentatio neminem immunem permittit, ita ut rectè Job. capite. 7. v. 1. vitam hominis *militiam*, vel ut alij legunt, *tentationem* vocet; nihilominus si-

cut alta ædificia ventis sunt magis exposita & tempestatibus, sic Sathanas magis infestat, concutit, & agitat, quidquid in sublimi positum est virtutis & perfectionis. *Agit hoc sanè superba & invidiosa malitia* (inquit de diabolo S. Bernardus in psal. 90. v. 8. *perfectiores vehementer pulsat.* Bellè hoc novit Ecclesiasticus, ut paternè monet unumquemque Virtutis & sanctæ vitæ studiosum: *Fili accedens ad servitutem DEI sta in iustitia & timore: & prepara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 12. v. 1. In quæ verba Rabanus apud Cornelium in Ecclesiastici caput modò citatum: *quantum enim quis se à mundi errore avertere certat & ad servitium DEI coadunare festinat, tanto graviora bella ac certamina ab hostibus tolerat. quisquis enim accingi in divino servitio properat, quid aliud contra se quàm antiqui adversarij certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captivitate serviebat.* Unde S. Hilarius in c. 4. Matthæi: *In sanctificatis vobis, inquit, maxime diaboli tentamenta grassantur.* Ut enim idem Hilarius ait. *Victoria est ei magis exoptata de sanctis.* Quàm ob causam meritò S. Chrysoſt. hom. 31. in Genesin, dæmones ait similes esse piratis: *Quemadmodum, inquit, piratae, quando vident navim multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem divitias, tum potissimum varijs moliuntur insidijs, ut possint mercibus omnibus navigantes spoliare; ita sanè diabolus, cum videt spirituales divitias coacervatas, alacritatem servidam, mentem vigilem, & quotidie divitias augeri, cruciatur & dentibus frendet, & quasi pirata circumcivit, & innumeras excogitat artes, ut si qua vel parvum inveniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium* di-vi-

divitiarum deprædetur. Et in eandem sententiam sanctissimus Pontifex Leo serm. 1. de Quadragesima, *Intelligamus*, ait, *quânto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementius ab adversarijs impetendos.* Similiter lib. 3. de summo bono capite quinto loquitur S. Isidorus: *Quia Diabolus in sanctis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat, & qui intrinsecus amittit dominium, exterius commovet bellum.* Optimè notat S. Bernardus in expositione illius versùs: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Psalm. 90. v. 8. Prophetam hoc loco voluisse attendere ad morem belli, in quo concertaturus cum hoste, majori impetu cornu dextrum, ubi solet esse major & robustior nervus militiæ, invadit nulla alia de causa, quàm ut residuum exercitum in confusionem & turbationem redigat. Manus dextera electorum symbolum est, *militia seu tentatio*, ut dixi, *est vita hominis.* in hanc dextram maximè diabolus vires exerit, *agit hoc sanè superba & invidiosa malitia*, ait de diabolo S. Bernardus, *perfectiores quoque vehementer pulsat. Non quærit diabolus homines infideles*, inquit epist. ad Eustochium de Custodienda Virginitate Divus Hieronymus: non quærit in gravibus peccatis hærentes, hi enim satis certi ipsi sine hoc sunt, *de Ecclesia Christi rapere festinat.* Sanctos & perfectos magis tentat; hi enim: *ut escæ ejus electa sunt.* Habacuc. c. 1. Venatores per montes præruptos & horridas silvas, apros, cervos, non jumenta, equos & asinos &c. qui ad manum sunt, quærunt; horum enim carnes, non ita electas escas præbent. Cervis similes perfecti: *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa*

statuens me psal. 4. Jumenta, homines inquam vitiosi, carnales, semper sunt parati ad obsequia dæmonis. *Hostis noster*, ait D. Gregorius, *quânto magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendit, eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit.* Miram non nemo Patrum quâdam vice habuit visionem apud Josephum, Mansi tit. Tentatio, discursu 7. num. 9. vidit nimirum Eremum quandam dæmonibus refertam, juxta verò Urbis portam unicum dæmonem, & hunc quidem sedentem quasi somnolentum, revelatum illi à DEO, non debere mirum ipsi videri, quòd unum duntaxat videret diabolium ad portam Urbis, tot in Eremito; eò quòd in delitijs viventes sine labore ad vitia pertrahantur, difficulter in eremo Sanctitati unice invigilantes; ac proinde hos magis tentari oportere. Ingeniosè observat Rupertus, To. 2. Lib. 4. in Apocalypf. c. 7. 4. cur post Ruben, qui *Videns* interpretatur, ponatur Gad, qui significat *tentatus*. Ex quo hanc deducit moralitatem proposito nostro accommodam. *Post Ruben sequitur Gad, qui tentatus vel accinctus interpretatur; post inchoationem enim boni operis, majoribus necesse est hominem tentationibus probari, ut fidei illius fortitudo comprobetur.*

De copiosissimo numero hostium, qui convenerant contra Regem Josaphat, ait Scriptura Lib. 2. Paralip. c. 20. v. 2. *venit contra se multitudo magna de his locis, que trans mare sunt*, Tyrannus notat modum, quo Spiritus S. Capitis hujus facit initium. *Post hoc congregati sunt filij Moab.* Postquam nimirum Rex Josaphat humiliter suscepisset correctionem Prophetæ, & omni conatu studisset populum suum re-

S 5.
Magis Vigilantibus
magis in
vigilat
dæmon.

ducere ad obedientiam & cultum veri DEI, tunc contra eum hostes furrexere, ad indicandum, inquit Lyranus, quod tunc, maxime exsurgant contra nos tentationes infernaliū hostium, dum intimiūs DEO jungimur, & illius sancto servitio mancipamur. Vix David sanctè decrevit: *Jura vi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*, mox fatetur: *humiliatus sum usquequaque*, psal. 118. v. 106. id est ut Hugo interpretatur, *tribulatus tentatus sum*. Ecce post propositum DEO sanctè serviendi, statim tentationes insurgunt contra David. Quod S. David, hoc omnes Sancti experti sunt. *Perlege*, inquit S. Thomas Villanova, Domin. 1. Quadragesimæ conc. 1. *si vis, omnium Sanctorum libros, & miras invenies passos tribulationum procellas*.

§ 6.
Cur jejunantē Salvatorem tentarit Dæmon.

Id ipsum de ipsa sanctitate Christo invenies. *Ductus est JESUS in desertum à spiritu*, Matth. 4. ut ibidem jejunium nostrum sanctificaret, & orationi vacaret in solitudine, quo peracto, *accessit ad eum tentator*. Vidit dæmon Salvatorem mundi insolenter jejunantem, mox ventum vanæ gloriæ immisit, cum tentationem temeritatis immisit, quā elevatum præcipitare volebat: *Mitte te deorsum*. Tandem spiritum procellarum afflare ausus: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me*. Unde tanta dæmoni audacia? Inde, quia ex esurie, quam Christus passus erat, collegit esse hominem, adeoque sic secum ratiocinatus est: Si ego Angelus cadere potui, Cur non iste, qui homo est? Ità S. Leo ferm. 3. Quadragesimæ: *viderat superbiam suam, baptizati Domini JESU humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam, & tamen non desperat de artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas, tantumque sibi*

de naturæ nostræ mutabilitate promittit, ut quem verum experiretur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Hæc S. Leo. Si proinde mergere se posse præfidit dæmon, talem hominem, tantam navim; quanto magis te fragilem cymbulam? Hoc autem nè fiat, nè tempestas maris & tentationis te demergat, imitandi sunt nautæ, qui factâ tempestate anchoram ejiciunt & navim firmant. Anchoram salutarem timorem intelligo; quo mediante Apostoli periculum evitârunt. *Sicut nautæ, dum è portu solvunt flante favonio, non ideo omittunt accipere anchoras, quæ tempore tempestatis sunt necessariae, ità & servus DEI licet magnâ fruatur quiete, nunquam tamen debet esse sine judiciorum Divinorum metu, sed hunc semper apud se habere, ut tentationum fluctibus insurgentibus uti possit*. Ità monet Sanctus Franciscus de Sales Lib. 18. de Amore DEI c. 17. *Sicut navis sine saburra securâ non est, sed à quo vis vento sine periculo propellitur, ità & anima periclitatur, quæ saburram seu anchoram DEI timoris non habet*. ità Granatensis in duce peccat. fol. 487. Quisquis in mundi hujus procelloso mari navigat, & sine timoris anchora navigat, temerarius est, clarumque dat indicium, se virtutibus vacuum navim esse. Philosophus percelebris, ut ex A. Gellio S. Hipponensium Præful, de Civit. DEI lib. 9. cap. 4. refert, cum multa hominum fœce navigio vehebatur, cum ecce tibi ingens exoritur tempestas: nemo tunc Philosopho illo cernebatur timidior, cessante post cœli furore, prodit nescio quis scurrarum, & Philosophum acerbè ridens: O præclarum, ait, Philosophum! putabam ego te præ nobis omnibus cordatum esse; at vidimus te jam omni lepore timidior.

ego

ego sanè in hac tempestate timui nihil, sciens, quia ridere solet post nubila Phœbus. Cui Philosophus idem ferè, quod simillimo in casu, simillimæ farinae nebuloni Aristipus respondit: Non erat profectò, cur timeres pro anima hominis nautici, quo fluctibus hausto quidnam fuisset damni? At ego pro anima Philosophi timebam, nobiles mecum porto Sapientiæ thesauros, quos cum periclitari cernerem, erat, erat cur timerem. Siquis non timet, sanctus non est, alioquin cum converfo & sancto psal. 81. v. 2. clamaret: *Custodi animam meam, quoniam Sanctus sum*: Idèmq; ab omnibus bonis & sanctis requirit: psal. 33. v. 11. *Time te Dominum omnes Sancti ejus*. Et tales se esse timendo Dominum ostendère Sancti Apostoli, & quidem ostendère in cœna: audientes namque verba de perfido & abjectæ mentis Juda: *unus vestrum me traditurus est: contristati valde cœperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine?* Cur tam seriò apprehendunt unius casum ut singuli putent esse suum? Venitne tibi unquam in mentem O Petre, Thoma, Joannes, tanta improbitas?

Nónne ô Thoma in sententia manes mori paratus cum Christo? nónne & tu Petre, *etsi omnes scandalizati fuerint*: cur ergo contristantur, cur pavent securâ conscientia? Respondet S. Leo ser. 7. de Passione Domini: *Contristati sunt non de conscientia reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes, nè minùs verum esset, quod in se quisque noverat, quàm quod ipsa veritas prævidebat*. Prudenter ô boni discipuli, sapienter ô optimi Apostoli. Sic & nos sentiamus, & cum illo Eremita exclaimemus: *Hodie peccavit frater, & cecidit, ego cras & turpiùs quidem*. Timeamus & oreamus cum S. Philippo Nerio, cujus tres aspirationes omnibus commendo. 1. *Cadam Domine si tardas succursum*, 2. *Domine omnia peccata mundi faciam, nisi tu impedias, diffido mihi, confido tibi*, 3. *Video Domine JESU, manus, latus, pedes: habent 5. vulnera, nisi me hodie teneres, ego tibi sex, imo sexaginta sex majora infligerem*. Domine ego timeo mihi, time & tu à me tibi, & non timebimus ambo, sed amabimus nos ambo æternùm Amen.

§ 7.
Quam diu
mare mundi
navigamus,
Semper metuendum est.

